


H. lit. biogr.
V
2034

H. lit. partie. ~~1972~~ biogr. IV, 1945 2034
46) HF-FB✓

SUB Göttingen
114 508 917

7





M E M O R I A
AVGVSTI GOTTLIEB RICHTER

I N

CONSESSV SOCIETATIS REGIAE SCIENTIARVM

D. XXIV. OCT. MDCCCXII

COMMENDATA

A B

IO. FR. BLVMENBACH.


G O T T I N G A E

TYPIS HENRICI DIETERICH.

ДЕЛОВИ
АКАДЕМИИ
УГАДІ ГОЛДБЕРГІН

СОВЕТСЬКА СОЦІАЛЬНА ФІЗІЧНА НАУКА

— 1970 —



— 1970 —

ilium multorum sed et unius et quod non solum in ipsa
anno rite etiam simulacione ab eis solliciti dicitur antea et post
ante recte emeritae etiam hanc meam ne reculeremus
omnes omnes et ferme aetate cupida et sensili etiam sumo omnes
omnes etiam autem unius et quod non multum tamen p. inservio
tamen p. inservio tamen p. inservio tamen p. inservio tamen p. inservio

Geminata eaque grauissima vulnera quae Vniuersitati nostrae
litterariae nuper, et quidem paucorum dierum interuallo
inflicta sunt decessibus duumvirorum meritis et fama illustrium,
HEYNII inquam et conterranei eius, **RICHTERI**, cum ea et Societati
Regiae Scientiarum, cuius alter restitutor dicendus est, alter
vero proximo ab eo loco sodalis senior fuit, funesta acciderint,
memoriam tantorum collegarum sollemni consessu pia mente
recolere cum ipsa religio, tum mos in sodalito nostro receptus
exigunt.

Atque ut **RICHTERO** parentare in me suscepimus non solum
ex munericis officio, verum maxime ideo partium mearum duxi,
quod per continuos quadraginta fere annos non viuis generis
mihi cum ipso intercesserint necessitudines; vtpote quo primum
praeceptore vsus sum fidelissimo, imo cuius fama quam iam
tum temporis adhuc vir iuuenis sibi pepererat, me in primis ut
Gottingam studiorum causa venirem, compulit, vbi triennio
post in Professorio medicorum ordine collega mihi extitit con-
iunctissimus, quique etiam grauioribus, quibus haud semel con-
flictabar, morbis salutiferam mihi opem tulit medicus ut sag-
cissimus et sollicitissimus, ita felicissimus.

Adeoque vix quemquam hodiernum superstitem puto ex
eorum numero qui tam studiorum affinitate quam communium
officiorum per tot annos vinculo ipsi coniuncti fuerunt, cui
vberior contigerit occasio de viri desideratissimi litteraria et aca-
demica vita plura proprius obseruandi aliaque quae ad antece-
denter iuuenilem eius aetatem attinent ex ipsius ore passim re-
lata accipendi.

Evidem natus est RICHTERUS anno superioris seculi 42^o
Sorbigae in Misnia Saxonum, patre istius urbis sacrorum anti-
stite, cui Georgius Gottlob Richter, inde ab academia nostra con-
dita Professor in eadem medicinae primarius, frater erat.

Hic cum satis diues et absque liberis esset, germano suo
obtulerat quodsi filiorum nunc adolescentium unus artis saluta-
ris studium amplecti vellet, se eum in contuberrium et convi-
ctum adopturum et studiorum eius rationem habiturum.

Parens eorum natu maiorem sibi et ecclesiae reseruare ma-
luit, iuniorem vero, ipsissimum nostrum AUGUSTUM GOTTLIEB
Gottingam misit, fratrisque benevoli clientelae tradidit, sub cui-
ius moderamine per quatuor et quod excurrit annos (inde ab
anno 1760 ad 64) studio medico sedulo incubuit.

Erat autem ille RICHTERUS senior, nostri patruus, quem
ipse adhuc venerandum et grauem senem fere octogenarium
quandoque inuisi, Boerhaavii discipulus non modo sed et stre-
nuus sectator, medicus ceteroquin quales tunc temporis elegan-
tiores vocabantur, historiae litterariae, seu potius notitiae libro-
rum curiosus, ipse bibliothecae locupletis et instructissimae
possessor, medicorum veterum admirator, et qui praesertim in
pangendis vernaculis latinisque carminibus sibi placebat; quan-
tum vero comperi, saltem quamdiu Gottingae vixit, minus praxi
medicae deditus quam preelectionibus ad Boerhaavii sui men-
tem recitandis, et, ut tum temporis occasio frequentior serebat,
numerosis commentationibus academicis, disputandi aut pree-
fandi causa edendis, iisque tam lectionis copia refertis quam
orationis ornatu conspicuis.

Has vero plerasque quae ille in deliciis habebat cupedias
parum ad palatum eius ex fratre nepotis et cura filii fuisse, fa-
ciles dabunt qui ingenium eius longe magis ad ne dicam lucri-
fica, sane proxime in usum vertenda norunt.

Eo acius contra studium et operam practicis ut vulgo au-
diunt disciplinae medicae partibus impendebat, et iam tum ma-
ture satis inprimis chirurgiam ceu longe certissinam et fallere

fere nesciam artis salutaris partem excolendam sibi sumsit, de qua perficienda et inter Germanos ad priscam dignitatem euenienda postmodum tam impense meruit.

Interim tamen cum exacto heic quadriennio tirocinium poneret, patrui magis votis obtemperatus ut coniicere licet, quam ex proprio arbitrio sub eius praesidio dissertationem inauguralem defendit *de prisca Roma in medicos suos haud iniqua a)*; praemissa preelectione *de praxi veterum medicorum hodierna praestantiori*, etsi probabile sit ipsum posterius argumentum non magis euictum quam prius illud fructuosum putasse.

Paulo post vt et sibi iura docendi aliquando in alma Georgia Augusta pararet et tempestive reseruaret, denuo cathedram concendit, et iam quidem materiam ex medicae artis exercitio ad quod adeo propensus erat, grauioris et rarioris morbi a se obseruati *b)* historiam, publicae disquisitioni exposuit. Mox vero ipsius generosi patrui aere adiutus annum cum dimidio itineri ad Gallos, Anglos et Batauos impendit, in quo praesertim Londini diutius commoratus est, ibique in primis celebre valedudinarium publicum cui a *8^{to} Bartholomaeo* nomen est, indefesso studio frequentavit, quod ipse scholam in qua maxime profecerit principem ac primariam vocare solebat *c)*, et cui tum temporis in iis quae manu medentur morbis, praeerat magni nominis masculus chirurgus, *PERCIVAL POTTS*, praeter alia in primis oculorum morbis sanandis et herniarum curatione celeber, ipsis adeo iis chirurgicae artis capitibus quibus et postmodum maxime inclaruit *RICHTERUS*.

Hic vere anni *66^{ti}* ex itinere suo redux statim a sagacissimo illo ingeniorum aestimatore, *MUNCHIUSIO* Professoris medicinae in academia nostra extra ordinem locum obtinuit *d)*, iamque post

a) Indicem scriptorum RICHTERI v. apud PÄTTER (*Versuch einer akademischen Gelehrten-Geschichte von Göttingen* T. II. p. 145) et MÜSEL (*Gelehrtes Teutschland* T. VI. pag. 342 sq. T. X. p. 476 et T. XI. p. 638.)

b) intumescentis et callosi pylori cum tripliei hydrope.

c) v. *Bibliotheca chirurgicae* T. VII. pag. 234.

d) in ordinariorum numerum receptus a. 1771.

HEYNIUM et BECKMANNUM ultimus decessit eorum Professorum Gottingensium qui adhuc ab ipso eo immortalis viro vocati fuerunt.

Occupauit statim quam nactus erat spartam oratione *de dignitate chirurgiae cum medicina coniungendae* et ingens commodum ex intimo hoc connubio oriundum ab eo inde tempore illustri suo exemplo praeclare comprobauit. Indixit vero istam panegyrin aditalem prolusione *de variis cataractam extrahendi methodis*, quam quidem encheiresin postmodum vltro perfecit variisque scriptis exposuit, quae aequa ac cultellus simplex et commodus ab eo inuentus et cataractae extrahendae egregie inserviens primam ei nominis claritatem pepererunt.

Praeter opem autem quam suffusione oculorum laborantibus felicissimo cum successu tulit, curandis quoque ut iam tetigimus herniosis mature inclaruit, hocque grauissimum chirurgiae caput itidem classico opere illustravit, adeoque vtrumque dirum affectionis genus, quod hactenus in Germania saltem plerumque a circumforaneis tantum hominibus tracabatur, solidiori, cuius operam requirit, chirurgiae vindicauit.

Primis etiam Professorii sui muneris annis consilium cepit edendae bibliothecae chirurgicae, in qua se vnicet recensibus librorum nouorum chirurgicorum, et commentationum eiusdem argumenti, quae actis societatum praesertim exterarum insertae sunt, continebat, passim vero quoque obseruationes ipsi per litterarum commercium communicatas subiungebat.

Et verbis dici non potest quam fructuosissimum hoc institutum euaserit, quantumque quindena huius bibliothecae volumina e) ad augmentum et perfectionem chirurgiae adque formanda et acuenda tironum in eo artis salutaris campo ingenia et incrementa, in primis ex Gallorum et Britanorum tantorum in ea magistrorum scriptis, quibus bibliotheca academica in dies

e) Inde a vol. XIII^{to} RICHTERUS sacerorum clarissimum, Perill. DE LODEN, Sodalem nostrum, operis socium sibi adiunxerat.

atgebatur, nostratisbus mature innotescerent, verum maxime ob innumera eaque in breuitate sua grauissima monita et obseruata quae ex propria penu tam sagax tamque expertus in sua arte auctor, recensibus suis per parenthesin interseuit.

Sanissimum vero quo pollebat iudicium in istis censuris non magis admirari oportet quam eximium candorem quo vel eorum auctorum, a quibus ipse antea lacesitus erat, merita ingenue extulit, proprios contra errores sincere professus est, encheireses et medendi rationes quibus hactenus vsus fuerat iam aut correxit, aut cum aliis quas meliores expertus erat, commutauit, ita vt in tanta qua valebat in sua arte auctoritate, summam tamen versus alios testatus sit aequitatem et ab iis proficiendi imo se ipsum emendandi, et vnice salutiferam quam in deliciis habebat artem perficiendi, studium.

Postquam vero iam per quindecim annos ambitum chirurgiae in scholis quas de ea habebat, amplexus erat, eandemque artis quoque exercitio intime familiarem sibi reddiderat, iam ab anno inde 82^o praeclarum et numeris omnibus absolutum opus edere instituit; *syntagma nempe chirurgiae septenis volumini bus absolutum*, cui, si plenam in eo materiarum expositionem, tam clarae et perspicue descriptioni iunctam species, nullum aliud antea in eo genere, certe in Germania editorum aequiparare licet.

Bina quidem eo seculo inter nostrates prodierant opera quae quodammodo cum eo conferri possent; institutiones nempe chirurgiae duumuirorum de ea arte suo aeuo meritissimorum, **HEISTERI** inquam et **PLATNERI** patris.

At enim vero vt ingentia incrementa taceam quibus ab eorum inde tempore ipsa morbis manu medendi ars aucta et emendata erat, **PLATNERI** liber, si praeterea eam partem quae ad obstetriciam attinet tanquam heterogeneam, tumque excursus ad historiam encheiresium chirurgicarum, et litteraria quibus abundant ornementa demseris compeirdiarius magis adeoque minus plenus est; **HEISTERI** vero opus adhuc antiquius et pro istius aei genio instrumentorum superfluorum pridemque obsoletorum farragine onustum; quales vero armamentarii chirurgici

apparatus noster magnam partem ad inanem ostentationem referebat, ita ut potius maiorem laudem in eo quaereret, quod ipsi simplex scalpellum ad multifarios morbos chirurgicos manu medendos sufficiat, cum ab aliis magna ferramentorum varietas ad curam eorum requiratur. Contra vero de noui et vere utiliis chirurgici instrumenti inuentione impense gaudebat, probe que memini cum ipse iter in Angliam pararem, rogasse eum ut si quod eiusmodi mihi occurreret, ipsi statim emerem.

Quanto vero plausu illud de quo agimus paeclarum syn tagma chirurgiae exceptum fuerit praeter cetera cum iteratae quae requirebantur editiones, tum vero maxime versiones eius in alias linguis, testantur.

Iungere liceat binis quae commemmorauit maioribus RICHTERI et quasi palmariis operibus tertium, mole quidem istis longe cedens ast materia itidem grauissimum; obseruationes in quam medico-chirurgicas, praesertim ut titulus fert, in nosocomio academico collectas, quarum vero, magna sane rei medicæ iactura nescio quam ob causam non nisi primum volumen in lucem editum est.

Evidem et hoc ad eximia desideratissimi collegae merita pertinet, quod suo inprimis impulsu valetudinarium publicum quo academia hactenus caruerat, anno 30^{mo} fundaretur, cuius institutio ipsi statim ab initiis a summo tunc temporis regimine commissa est et cui per septendecim continuos annos summo cum commilitonum in arte medica emolumento director praefuit.

Quae in hoc xenodochio maxime memorabilia ipsi obser vare licuit, iunctim cum aliis nonnullis quae tum priuata praxis, tum medica principatus Gottingensis in rebus forensibus cura ipsi demandata praebuerat, isto opere subinde publici iuri facere constituerat, et vel primo hocce specimine, quod autem ut diximus, vnicum prodiit, grauissima quaedam morborum genera pro singulari quo pollebat ingenii acumine, exinie dilucidauit f).

f) cf. praesertim memorabile caput de febribus biliosis, quo suam de earum caussis et sedibus sententiam pluribus exposuit, tum vero et tot alia, vbi v. c. de fluxus coeliaci et hepatici, de vomitus cruentis, dysenteriae, diabetis aliorumque morborum natura et sede, iisque medendi ratione agit.

Tanto magis autem hae observationes vel ideo aestimandae, quod praeter paucas alias infra commemorandas fere vnicae sint quas de morbis internis, qui nempe pharmacis non manu curantur ediderit; quod, etsi mirum videri posset in tanto medico therapeuta, qui per quadraginta et quod excurrit continuos annos de iisdem praelectiones habuerit, easque tanta sagacitate tamque felici successu tractauerit, maxime ad excellentiam referre licebit qua chirurgiam medicinae proprie sic dictae longissime praestare censebat, cum contra morborum internorum curationem magnam partem pro arte magis conjecturali haberet, ita ut nude in scriptis suis asseuerauerit, in vniuersum hancce artem quam salutarem vocent, non minus detimentosam generi humano quam proficuum extitisse g).

Caussam tam seueri, ne dicam iniungi iudicii maxime ad ingenium viri ab hypothesium studio abhorrens referre oportet, quas quidem in chirurgia longe minus locum habere putabat, cum contra medicina proprie sic dicta iis carere vix possit, in variis autem medicorum scholis et systematibus plane abundare soleat. Nec mirum si se in ea opinione confirmatum putaret tumultuariis conuersionibus sectarum medicarum breuis quantum aei, quarum quippe nuperioribus praesertim lustris aliam post aliam deflorescentem vidimus; quibus omnibus in RICHTERO accedere poterat et illud, quod ipsa chirurgia famam suam longe maxime nobilitauit, fortunaeque suae fundamenta iecit, cum salutiferam suam opem tot aegri ex primario ordine, principes aliique expeterent, et qui ut Ipsi POTENTISSIMO REGI nostro a chirurgicis consiliis esset, dignatus est.

Ceterum in medicina aequa ac in chirurgia maxime Anglos medicos tanquam exempla empiriae rationalis et vere fructiferae sequutus esse videtur, ex Germanis autem praeter STOLLIUM praesertim praeclarum scholae Gottingensis ornamentum, PHILIPPUM GEORGIUM SCHRÖDER, cuius quidem viri summi praelectiones non ipse frequentauit, vt pote qui non nisi RICHTERI cursu academico fere absoluto Gottingam vocatus est, cuius tamen dogmata et medendi rationem facile ab aliis, tum vero et ab eo ipso quo per septennium collega vsus est, percipere potuit.

g) v. Bibliothecae chirurgicae T. IX. p. 193.

Longum vero foret ea enarrare, quibus propria qua pollebat sagacitate et acumine therapiam auxit et ditauit; vt opii efficacissimi pharmaci in tot morbis quibus antehac nondum adhibebatur, vsum; tartari emetici adeo refractas ast saepius repetitas doses vt nauseam solum pariant, non vero vomitum excitent; purgantium in febribus neruosis efficaciam; limitandum contra eum euacuantium in febribus gastricis vsum, et quae sunt eiusdem generis et dignitatis innumera alia.

Quam in omnibus quae hactenus commemorauimus RICHTERI scriptis admiramur lucidum et concinnum ordinem et dictionis prope popularem perspicuitatem, eadem et in praelectiobus suis quas e cathedra habuit, ita excellebat, vt paucos in eo pares ipsi fuisse asserere ausim, quod quidem uno ore testabuntur innumeri qui ex eius schola prodierunt discipuli in qua clara sua et viuida dicendi facultate res intricatas endantem, obscuras illuminantem, fastiditis gratiam dantem, attentionem excitantem et excitatam continentem summa cum voluptate audiuius.

Si quid vero a tam eximio medicae iuuentutis praeceptore abesse optabant cordati viri, illud erat quod subinde in scriptis, saepius vero in praelectionibus non tantum de theoreticis quibusdam disciplinae medicae partibus minus honorifice sentire videretur, sed et elegantiorum et humaniorum litterarum studium tironibus medicis superfluum et parum proficuum putarit; quid quod eum eo delapsum vidimus vt in bibliotheca sua nude assereret, medicos optime latine doctos ab omni inde tempore non optimos extitisse praticos ^{h)}; quasi plane nescius aut saltem oblitus fuerit tot tantorumque inde a renatis litteris virorum, tam summa qua inclaruerunt arte medendi, quam priscarum litterarum doctrina latinique sermonis elegantia aequa illustrium, FERNELII, FRACASTORII, ENTHI, FREINDII, quem modo laudauimus PLATNERI, et quot non aliorum.

Quanto magis vero mirari oportet excidisse eiusmodi paradoxa egregio viro, eo lubentius afferamus quae ad diluenda ea et quodammodo excusanda conferre possunt.

^{h)} T. VII. pag. 131.

Atqui iam vidimus RICHTERI ingenium multo magis ad practica quae vocant medicinae studia tractanda proclive fuisse quam ad theoretica et quae subsidiaria appellant, excolenda. Neque mirum ergo eum chirurgiae in primis exercitium, quod praesertim dum apud Britannos versabatur adeo fructuosum, imo et lucrificum euadere vidit, iis praetulisse studiis quibus patruus ut vidimus, magis delectabatur.

Iam vero cum et natura sua sui amantior seque amplectens et in vniuersum pleraque ex sua seu voluptate seu utilitate metiri solitus esset, quod omnes dabunt qui eum proprius norunt, et dictorum ipsi adeo familiarium, ut Cassiani illius *cui bono?* aut Phaedrini *nisi utile est quod facimus* meminerint, aliter fieri non poterat, quam quod sibi ipse in arte in qua fortunarum suarum sedem quasi et habitationem tanto cum successu posuerat, vnicce placeret. Quod vero se non in eo contineret sed et passim aliqua eorum studiorum quae, ut cum CELSO loquar, quanquam non faciunt medicum, aptiorem tamen medicinae reddunt, subinde spernere videretur, hoc maxime simultatibus et inimicitiis tribuo quae ipsi iam primis professionis suae annis cum uno alteroque collegarum, in primis vero cum BALDINGERO subortas esse doleo; quarum quidem origines leues sane et nihili, hic commemorare pudet pigetque; rem ipsam vero intactam relinquere nefas duxi, quod ad diluendam istam exprobationem facere possit.

BALDINGERUS inquam, quem itidem praeceptorem, medicum et collegam habui, et cui plurima me debere grata mente prositeor, prout ipse multifaria imbutus erat doctrinae copia, ita eam et in discipulis volebat, adeoque ea studia ipsis impense commendabat, quae RICHTERUS contra ad ipsissimum artis exercitium minus necessaria putabat. Postquam ergo iam alias ob caussas alienatae horum collegarum voluntates et dissidia sata erant, neuter eorum sibi temperare potuit quin de alterius studiis passim paulo contemtius iudicare sibi permitteret.

BALDINGERUS praesertim ut dicacior natura, salibus suis non raro incautius in collegae studiorum rationem inuehebat, persuasus ad formanda et excitanda tironum medicorum ingenia

praeter theoretica omnis generis studia, veterum maxime medicorum lectionem conferre, quorum quippe indefesso studio triumui exelluerint, quos tanquam exempla suminorum sua tempestatis medicorum perpetuo extollere solebat, RICHTERUM nempe seniorem, nostri patrum, cuius toties meminimus, et quem vix sine obliqua insectatione ex fratre nepotis nominabat; tum collegam eius, BRENDELIUM; et inde a iuuentute usque ad extremum senium amicum intimum, TRILLERUM Wittebergensem.

Quid mirum ergo si et ab altera parte noster non solum BALDINGERI polyhistoriam, subinde utique affectatam, et magnam partem magis obiter saltem congestam quam rite subactam despiciatur duceret, sed et de variis quae ille immoderatus efferre solebat studiorum generibus aliter sentiret, conscientius sibi quantum ipse in arctioribus practicae utriusque medicinae limitibus se continendo, profecerit eique perficiendae profuerit.

Imo vero ipsum illud quod passim de istis studiis ferre videbatur iudicium, quodque ex iis quas memoravi caussis adventitiis orsum, postmodum quasi in aliquam consuetudinem abierat, reapse tamen itidem subinde magis affectatum quam ex vera persuasione natum et sincerum fuisse ex eo asserere ausum, quod ipse non solum plerisque eorum haud mediocriter imbutus esset, quibus et in muneribus suis, medica rerum forensium cura, aliisque, nullatenus carere potuerit; meque ut certe et alios collegarum suorum non raro de grauioribus aut dubiis eorum capitibus, nouisque in iis inuentis, lubenter consulteret; sed et tam filio carissimo *i)* et ex fratre nepotibus *k)* dum scholas nostras perassidue frequentabant, quam alii viris iuuenibus auctor suasorque fuerit ne ea negligerent, et ex animo gauderet quando eos in examinib; rigorosis promte et recte de iis respondentes audiret.

i) medicis apud Berolinenses, auctore egregii libri: Darstellung des Wesens, der Erkenntniss und Behandlung der gastrischen Fieber.
Halae 1812. 8.

k) medicis Hannoveranis.

Verum restat iam vt et de iis agamus quae RICHTERUM societatis nostrae sodalem attinent, primo extra ordinem (a. 70.) eidem adscriptum, sexennio post inter ordinarios receptum.

Coptatus est statim eo anno quo HEYNII maxime studio et sollicitudine ipsum hocce sodalitum postquam per 15 annos non vnam ob causam languerat, restitutum et noui eius commentarii editi sunt, quibus et RICHTERUS egregias symbolas attulit, ad vnam omnes chirurgici argumenti, maxime iterum de morbis oculorum et herniis. In iis autem quae senioribus annis societati exhibuit, praeter singulares quas continent riorum morborum historias, de nonnullis grauioribus eorum generibus, iisdemque medendi ratione egit ^{l)}.

Neque etiam in recensibus nostris litterariis asynibolus fuit, praesertim vero proximis qui obitum eius praecesserunt mensibus, memorabiles aliquot censuras ad eosdem contulit.

Alia quibus porro tam sodalitio nostro quam academiae et rei medicae ultra prodesse potuerit, fatum inopinato et immaturo eius decessu intercepit. Quanquam enim septuagesimum aetatis annum viuendo superauerit, adeo tamen viridi gaudebat senectute et viribus tum mentis tum corporis illibatis, simulque valetudini suae adeo curiose et forte nimis anxie prospiciebat, vt certe quisque nostrum eum diutius inter nos futurum, imo longe prouectiorem aetatem adtacturum auguratus esset ut precatus.

Eripuit vero eum rebus humanis morbus quidem grauis nec tamen diuturnus, hepatitis inquam ex podagra retropulsa subnata, vnde post paucorum dierum decubitum animam redidit d. 23 Iulii huius, quem viuimus, anni.


Equidem in RICHTERI fortuna nihil est quod dolendum nobis sit, qui vitam ex voto exegit, satisque facilem ex ea egressum nactus est.


^{l)} Indicem earum exhibet coniunctissimi REUSS *conspectus Societatis Regiae scientiar.* pag. 77 quibus adde ultimam RICHTERI disquisitionem, cuius iam meminimus, *de vsu purgantium in febribus nervosis commen-* tationum recentiorum T. I.


Nos vero memoriam tanti collegae et sodalis, inter palma-
ria quae almam Georgiam Augustam ornarunt nomina referendi,
gratissimam habebimus et perpetuam.


— clarum et venerabile nomen
Gentibus, et multum nostrae quod proderat yrbi.

LUCAN.










M. 20931.



© SUB GÖTTINGEN / GDZ | 2011



OpCARD 201

